Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Elegia de Marcolfo liberum arbitrium felis explorante ...

Faber, Martin

Islebiae, 1700

[Fließtext]

urn:nbn:de:bsz:31-129601

Visual Library

ELEGIA
DE MARCOLFO
LIBERVM ARBITRIVM FELIS EXplorante obiectis Muribus, opposita Modo agendi Synergistico.

DOctus erat, longo Catus assuefactus ab vsu.
Gestare ardentes, vngue tenente, faces.
Ergo ministrantem Dominus sibi tempore Cænæ,
Hunc, quasi delicias, semper adesse iubet.
Ostentansq; alijs ibi consuetudinis artes,
Has ita Natura plus valuisse putat.
Astitit auditor Marcolfus, & ipse videbo,
An sit Natura fortior vsus, ait.
Tres igitur tunicæ condens Velamine Mures,
Ante ministrantis constitit ora Cati.
Deprompsitq; vnum, quem sic prorepere curat,
Vt propius celeri pergeret ire pede.
Quo viso similis nutanti colla reflectit,
Et Catus oblito pene labore fugit.
Ista videns Dominus Sceptro cohibendo minisq;,
Sistit & officij tunc meminisse iubet.

At

At ſemel inceptum, pergens Marcolfus, eodem,
Tramite protruſo Mure, probauit opus.
Hic Natura magis patefit, namque vngue ſiniſtro,
Vix bene candelas, arte iuuante, tenet.
Dextra ſed aſſueti iam tunc oblita laboris,
Prædam, natura ſic ſtimulante, petit.
Prænſuræ ſimilem tamen hanc quoque prouidus ægre,
Vicit & irato murmure preſsit Herus.
Tertius at poſtquam Mus proſilit, ecce repente,
Abiecta fugiens lampade Felis abit.
Obiectamq; ſequens inhianti gutture prædam,
Seruitij poſita proijcit arte iugum.
Ridet &, exclamans MARCOLFVS vicimus, inquit,
Omnia Natura prædominante cadunt.
Quam licet arte premas, tamen ipſa recurrere tentans,
Semper ad innatum prona redibit opus.

FAllor an hoc noſtri voluit veneranda vetuſtas,
Arbitrij Vires effigiare ioco.
Muribus inſidians Natura tenaciter hæret,
Sit licet aſuetus lampada ferre Catus.
Sic quamuis (Domino nos conuertente) creato,
Viuit ab integro corde renatus homo:
Attamen ipſa graui pugnans Natura duello
Spiritui ſemper tota inimica manet.

Scilicet

Scilicet hoc ipso velut ense, Lutherus, Achillis,
Erroris neruos fudit, Erasme, tui.
Si viciosa caro conuerso corde Renatos,
Haud ita difficili vincere strage valet.
Posse quid hanc credis, Constante vigore, priusquam,
Suscipit in nobis Spiritus illud opus.
Nec feriatur iners caro, dum virtute creandi,
Per verbum renouat pectora nostra DEVS.

SI sapis' & Christi merito nil detrahis, hic te,
Vel similem trunco, posse, fatere, nihil.
In reliquis fragili maneat sua gloria carni,
Hic caro nil prodest, victa, sepulta iacet.
Et Modus hic friget (Sapientia carnis) agendi,
Sphynx nihil inde sibi Strigeliana Capit.
Dum sacra flexi loquis oracula sensibus æquans,
Spirituale suis Viribus aptat opus.
Velle nec in nobis, nec posse stat, omnia præstat,
Spiritus, illius hic nonne Poema sumus?
Hæc Sancti PATRIS est sententia vera Lutheri,
Hanc λόγος æterni Patris imago sonat.
Hanc pia perpetuis repetens Ecclesia seclis,
Tradidit, hanc sancte nos retinere decet.
Dicite degeneres, quos vana scientia mundi,
Inflat, an hæc sancti sunt rudimenta PATRIS?

Cur

Cur adeo vobis ſapientia Cœlica ſordet?
Nec niſi ſint ſacris mixta profana placet?
Cur ita ridetis? cur vobis ſtulta videntur,
Cuncta, niſi veſtris ſenſibus ap a ſonent?
Hei mihi, quò ruimus? quantum mutamur ab illis,
Qui fuimus ſancti γνήσια turba Patris.

Si ſapis hic fugiens γλυκώματα falſa Sophorum,
Appete cœleſtis, dum datur, artis opes.
Artibus hæc præſtat cunctis, hæc ſcilicet vna,
Fulgida directam monſtrat ad aſtra viam.

Finis.